



Onusvetudo multis abhinc annis recepta, quasi in legem abiit, ut quoties in Curia NOVUS CONSUL locum solet occupare, toties Gymnasiu*m* juventus peculiarem Actum exhibeat, simulq; nuncupandorum votorum meliorem captet occasionem. Neq; superiore anno defraimus officio sanè laudabili, cum de Litera Z aliqua disputatione, unde futurum Nobiliss. Dn. MÖLLERI Regimen videtur insigne felicitatis omen indipisci. Nunc de novo Exercitii argumento diu cogitandum non fuit, postquam nuper in Festo, ut vocant, Gregoriano Zittaviensis nostræ Reip. ortus & incrementa sic fuerunt producta, ut multi optare inciperent, vellent aliquando Personæ solis Inscriptionibus loquaces, clariorem in theatro vocem emittere, adeoq; historiæ satis obscuræ lucem fœnerari ulteriorem. Proinde, quod Deus faustum esse jubeat, redire voluit WENCESLAUS Junior, cuius imaginem ideo ad Templum prope Turrim expressisse creditur antiquitas, ut significaret, teneram ejus ætatem inter nostros Zittaviæ five Pannifices five Incolas fuisse ab impiis malevolorum fraudibus aliquantis per defensam. Licet enim de hoc latibulo parum aut nihil reliquerint scriptores Bohemiæ: nemini tamen ignotum est, Historicos majoribus intentos, ad obscuriora ejusmodi calamum non deflectere: quinetiam habere quodlibet oppidum suas traditiones, haud omnino vanas, quo certius è Majorum manibus acceptas tueri easdem conservaverunt successores. Ne autem omnino abesset novitatis commendatio, placuit inferiorum Ordinum discipulos Latinè loquentes introducere, qui Historiam inventioni Poëticæ involutam, stylo, non ligato & Terentiano, cuius quidem hodie exigua fuerit vel svavitas, vel utilitas; sed soluto & in Dialogis eruditissimorum virorum, Platonis, Ciceronis, ac inter recentiores Erasmi, Lipsii, Puteani aliorumq; recepto. Ceterum ut Cæsar Augustus olim ludos scenicos sæpe edidit, majorum minorumve puerorum delectu, ut videlicet, quam rationem addit Svetonius, *cap 43.* claræ indolis stirps innotesceret: ita Spes affulget jucundissima, fore ut Nobiliss. Dn. GIRISIUS simili exercitio apprime delectetur: cum non modo Consulis, Prætoris, Senatorumq; Filiòs hic videat procedere, sed svavissimum quoq; è lectissima Sorore Nepotulum, in ipsis Studiorum Primitiis constitutum ominoso Fidelis Nomine notabilem conspiciat. Quod reliquum est, cum de publico Favore, præ cæteris favorabili, desperandum non sit, ad meliorem Fabulæ intellectum nunc operæ pretium fuerit Personarum ordinatam nominationm, ac tandem Actuum & Scenarum distinctum exhibere Conspectum.

Per-